



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1563 usque ad annum 1566

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118626

§. 67. Nova Pontificis molimina ad urgendam Synodi receptionem in
Galliis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67192](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67192)

posuit, & Mense Martio hanc suam op-
 positionem publicis typis evulgavit.

Sæcul. XVI.
 A. C. 1564.

Verum Molinæus hoc ipso iudicio,
 prout & per consultationem, quam
 circa Concilium Tridentinum elucubra-
 vit, atque edidit, Parisiensis Secretus
 indignationem maturasse creditur.

§. LXVII.

*Nova Pontificis molimina ad urgen-
 dam Synodi receptionem in
 Gallis.*

Cum in Galliis recipiendæ Tridentinæ
 Synodo nova indies obstacula op-
 ponerentur, Pontifex ad Carolum IX.
 Regem Ludovicum Antinorum jam an-
 tea in maximi momenti negotiis mis-
 sum ablegabat, ut denuo apud Regem
 totis viribus instaret, quatenus Synodi
 Decreta in Regno promulgarentur: ita-
 que Antinorus nullum non movet lapi-
 dem, ut cuncta adhiberet, quibus tan-
 dem Rex, ut Pontifici hac in re mo-
 rem gereret, induci posset, quapropter
 eidem exponere nitebatur, quod Pius
 Papa nil nisi rationi consonum, nihil
 vero Franciæ emolumento, ac honori
 adversum peteret; verum Rex dunta-
 xat, & id quidem verbis admodum am-
 biguis pollicebatur, se per suos mini-
 stros, ut Concilii decreta singillatim exe-
 cutioni

Sæcul. XVI.
A.C. 1564.

curatori demandarentur, curaturum: ceterum publicam universi Concilii in Regno suo promulgationem eo rerum statu periculofam deprecabatur, cum vereretur, ne per Calvinistas novis implicaretur tumultibus, ex quibus forte nunc difficilias, quam antea sese extricare posset: de cetero autem nullam se intermissurum spondebat occasionem, qua testatum redderet, quanta veneratione summum Pontificem prosequeretur, cum obsequium ipsi debitum satis probe cognosceret. (*)

§. LXVIII.

Pontificis conatus circa Synodum in Germania recipiendam.

Pallav. l. 28. c. 12.
Thuan. l. 36.
Spond. hoc ann. n. 3.
Equidem Pontifex hac excusatione specietenus contentus esse videbatur, nihilominus præcipuam curam eo vertebat, ut Synodus in Germania promulgaretur: eapropter ad Nuntium suum Episcopum Ventimillensem hac super

(*) Thuanus, quem Continuator allegare non audebat, ne plura de suo maligne addidisse convincatur, duntaxat hæc a Rege dicta fuisse refert, de obsequio alioqui suo in Pontificem in posterum bene speraret, ast Continuator jam magis assuetus erat solitæ obsequii promittendi formulæ, quæ ibidem adhibetur, dum obsequium negatur.